

Dij Hospitales enumerantur.

Cap. V I.

ARECTVM itaq; fuit olim Hospitij vinculum, atque adeò etiam divini numinis reverentia sanctum, ut Hospitij disceptationi Iovem inter alios superstitiosè religiosa primum præficeret antiquitas, Iovem Hospitalem eum appellans, & invocans, quasi Hospitij præsidem & vindicem, cuius in tutela hospites esse credebantur. Plautus in Pœnul. Act. v. Sc. 1.

Deum Hospitalem ac Tesseram mecum fero.

Ita Romani Iovem Xenium, idest Hospitalem appellabant. Idque sine dubio Græcorum auctoritate. Ait enim Homerus Od. ζ. πρὸς γὰρ διὸς εἰσὶν ἅπαντες ξένοι. à Iove sunt omnes hospites. Hinc fides Iovis Hospitalis Cic. ad Qu Frat. Non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis Hospitalis. Et pro Deiotaro: Si te palam interemisset, Iovis quidem illius Hospitalis numen non unquam celare potuisset. Apuleius Lib. IIII. Sed proh Iuppiter hospitalis & fidei secreta numina: Eadem mente Virgilius Aeneid. 1.

*Iuppiter, Hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyrūq. diem Troiaq. profectis*

Esse